



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 6. Et Christi, & magnorum principum magnos honores fugientium  
exemplo, satius esse honoris appetitum domare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



honores mutant mores: & alia officia alia exigunt facta. Quoties enim vidimus eos, qui subditi videbantur libertate maiore utentes, postea superiores factos strictissimum vitæ genus amplexos esse? quoties Canonicos audiimus dissolutos, mitrâ impositâ coercitos? Vno verbo, multi gradus altiores malè appetuerunt, sed bene vsi sunt; & per ipsum errorem grassati sunt ad veritatem. Nimirum vt nutrices pueris dicunt, ne plora, & accipies; ita talibus dicendum est, ne stationem desere; ne abijce arma; dabo, & cedam tibi hac vice; vt tu quoque alia vice discas cedere.

## §. VI.

*Et Christi, & magnorum principum magnos honores fugientium exemplo, satius esse honoris appetitum domare.*

Heb. 4. 15. 3. Nimirum non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, cedit ad tempus, & concedit honores etiam illos, quorum appetitum satius esset domare. Et sanè, cùm tantum in honoribus situm esse bonum existimemus, magnam Numini victimam offerimus, & cacodæmonem vehementer mactamus, si mactemus honoris appetitum. Excelsi enim animi est, cùm præclara



clara gesseris, gloriam contemnere. Cuius rei, in ipso Domino illustrissima exempla habemus. Nam quando eum Satan tentavit, ut ex lapidibus panes faceret; atque rursus, ut se deorsum mitteret Angelorum manibus excipiendum, & de tam claris miraculis agnoscendum; reiecit à se tentatorem, docuitque nos, ne gloriam à miraculis captaremus. Quemadmodum nec ipse voluit gloriosum illud spectaculum vulgari, quo solis instar in monte Thabor explenduit, nemini inquam, *dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Alia vice, cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Atque iterum, cum eum interrogaret Pilatus: *Tu es rex Iudaorum?* respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sic titulos abdicare, sic fugere purpuram, sic docuit nos nihili facere presentis vitæ dignitates; & vincere diabolum, dum vincimus honoris cupiditatem, quæ tamen in illo, non fuit, qui dixit: *Ego gloriam meam non quero.* Et didicerunt multi, de quibus supra. Et cur non didicissent Christiani, cum, teste Suetonio, Domitianus Romanorum Imperator paucis notum

Matth. 4.

3.

Matth. 17.

9.

Ioann. 6.

15.

Ioan. 18.

33.

Cap. 45

§. 5.

Sueton.

in Domit.

tiano.



Niceph.  
Callist.  
lib. 12.  
Eccl. hist.  
cap. 38.

essederit, quàm misera & ærumnosa sit imperantium conditio, qui à tyrannidis falsa suspicione tum demum liberantur, eùm diem iam extremum claudunt. Iouianus certè in Romanorum Imperatorem electus, cùm argueretur, quòd eam dignitatem reiecisset, atque insignia Imperatoria recipere planè recusaret, respondisse fertur: *Se virum Christianum nequaquam ijs imperare posse, qui Gracissarent, superstitionesq; sectari didicissent.* Tanta vbiq; est hominum improborum multitudo, vt si eam imperaturi considerarent, aut perspectam haberent, prorsus cum Iouiano sensuri videantur. Sensit cum illo Otho Imperator Romanorum, qui sæpenumero dicere solebat

Bruso. lib. 3. cap. 13. ad suos: *Nescitis, amici, quid sit Romanorum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quàm imperare.*

## §. VII.

*Laudis amore, & metu dedecoris, multa mala vitari, & bona fieri.*

4. Multi honoris amantes, peccata vitant, ne dedecus & infamiam incurrant.

Eccl. 4.  
15.

Hac enim de caussa dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Vt enim virtuti laus debetur, ita vitij ignominia est annexa. Quàm multi iactant